DE

PI

IN TEM

DISS

PRO GR

ORDINI

FRI

DE DUABUS VETUSTISSIMIS
PICTURIS VITREIS
IN TEMPLO S. VITI IN VICO VEITSBERG
PROPE WEIDAM SITO.



DISSERTATIO ARCHAEOLOGICA

QUAM

PRO GRADU ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI

RITE SIBI OBTINENDO

ORDINI PHILOSOPHORUM AMPLISSIMO IENENSI

OBTULIT

FRIDERICUS KLOPFLEISCH

PHILOS. DR.

IENENSIS.

CUM TRIBUS TABULIS.

IENAE

TYPIS SCHREIBERI ET FIL.

MDCCCLIX.

Contemplandis Germaniae artificiis illorum temporum remotorum, quibus ars a populis Germanicis culta, ut radices proprias ageret novaque nutrimenta duceret, quasi planta cum religione christiana extrinsecus illata censenda est, vir historiae artium peritus, quamquam temporis nostri ingenium ab illis monumentis multum alienatum est, tamen magna afficitur delectatione, propterea quod jam in artificiis illius temporis habitus sive modus contemplandi genti nostrae innatus specie aliena perspicuus est, haec autem secundum illum habitum magis minusve transformatur.

Magna quidem historiae artium germanicarum studia impensa sunt, neque parvi aestimanda perscrutandi emolumenta, ex quibus historiam germanicarum artium universalem jam componi posse placuit. Haec tamen compositio, ut mihi videtur, nullo modo perfici potest, nisi omnium Germaniae regionum monumenta quae adhuc exstant, aequaliter indagata sunt. Singula enim artis monumenta contemplari non debemus, ita ut a ceteris ejusdem temporis se-

parata sint, sed nexus, qui inter omnia illa monumenta intercedit, est respiciendus. Tum demum singularum rerum singulae proprietates, vinculis quibus cum toto conjunctae sunt omnibus repertis, clare intelligentur. Totum singulis speciebus continetur.

Perlustrantes autem oculis Germaniae terras, lacunas quasdam magnas historiae artium universalis explendas esse intelligemus. Maxime clara est cognitio architecturae monumentorum, minus picturae, minime sculpturae. Major enim Germaniae, quae ad septem triones spectat et Austriae pars, nec paucae Germaniae mediae regiones, quod ad historiam picturae et sculpturae attinet, non satis cognitae sunt, quamvis indagandis illarum terrarum singulis monumentis nunc magna studia viri doctissimi impendant. Pervestigationem majorem nactae sunt regiones circa Rhenum flumen, Guestphalia, pars Franciae, Bavaria, Suevia, Bohoemia.

Etiam monumenta earum regionum, quae nunc *terrae Saxoniae superioris* nominantur, historiae artium non satis in lucem prolata sunt. Ac maxime quidem his in terris culta historia architecturae est opere amplissimo et clarissimo PUTTRICHII: *Denkmäler der Baukunst in den obersächsischen Ländern*, etiamsi nonnulla supplenda vel, ut historia artis nunc ex-

stat, corrigenda sint. Pictura autem et sculptura earum terrarum non satis ut decet fruuntur studio, nec opere utimur, quod omnia monumenta amplectatur.

Res quum ita sint, judicium illud Kugleri*) facile est intellectu neque vitio tribuendum. Dixit enim scriptor ille: *Von Leistungen etwaniger Vorgänger des Lucas Cranach ist wenig bekannt, doch finden sich einige Werke, die auf eine weitere Verbreitung der Kunst in Sachsen und den benachbarten Gegenden zu Anfange des XVI Jahrhunderts schliessen lassen.*

Quis audem credat, Saxoniae superioris terras revera nulla testimonia praebere, quae sollertiam propriam ac memoratu dignam picturae quoque impensam ostendant, quoniam ea ars antiquis temporibus arctissime cum architectura conjuncta erat, haec autem et sculptura tot tantaque monumenta spatio temporis, quod dicunt *romanicam artium aetatem*, in lucem protulerunt? Quis porro neget, in Saxoniae superioris terris etiam post illam aetatem usque ad Lucae Cranachii senioris tempora picturam floruisse?

Ad quaestiones eas solvendas per biennium et architecturae et sculpturae et picturae mo-

*) *F. Kugler, Geschichte der Malerei, 2. Aufl. umgearbeitet von J. Burckhardt, tom II. pag.* 251.

numenta, quae in Saxonia superiore reperiuntur, perlustrabam. Multa nondum cognita cognovi, plura me cognoscere spero. Studia ampliora, quae ad eam rem pertinent, accuratius pertractanda in posterum tempus distuli; nunc tantum in animo est, duo monumenta artis in vitro pingendi, nuper a me reperta, ejus artis incunabula, in medium proferre.

His quidem picturis ad ea tempora reducimur, quibus ars apud clericos erat eorumque industria colebatur, nec jam, ut ita dicam, *scholae* pictorum, ratione unius cruditorum, ortae erant. —

Jam in Thuringia Carolingorum temporibus Bonifacio praedicante religio christiana propagata erat, ex quo ars christiana his regionibus exerceri coepit. Attamen illius temporis traditiones quae ad monasteria et ecclesias in Thuringia, plerumque per monachos Fuldenses aut Moguntiacos conditas pertinent, incertissimae sunt, ita ut non prorsus aucteritas iis attribuenda sit. Simili modo de monumentis artium illo tempore in Thuringia exortis, nobis autem reservatis, nihil dici potest.

Veterrima autem artium exercitatio in Germaniae terris tam arcte cum monasteriis — ut jam supra diximus — conjuncta est, ut usque ad finem saeculi XIV origo monumentorum, ac quidem quae ars pingendi protulit,

in monasteriis virorum praecipue cognoscatur. Monasteriis autem virginum multa opera texta aut acu picta debemus, quae ad nostrum tempus ex omnibus aevi medii aetatibus conservata, nec minoris magna ex parte aestimanda sunt, quam opera artis pingendi proprie dicta.

In regionibus trans Salam flumen sitis*) a saeculo VI Sorabi habitabant, qui Thuringiam continenter invasionibus vexabant, qua de causa complura castella ad Salam necessarie condenda erant. Tandem anno Christi DCCCLXIX a Ludovico, filio Ludovici Germanici, devicti sunt, ita ut nunc Elister, ut olim Sala, Germanos et Sorabos divideret et castellis muniretur. Novae Soraborum rebelliones post gravia certamina effecerunt, ut anno Chr. DCCCLXXX totus tractus ab Elistro usque ad Muldam flumen dominationi Germanorum subjiceretur, et eodem modo, ut quae prius expugnatae erant regiones, muniretur et nunc etiam propagatio religionis Christianae institueretur. Attamen postquam Henricus Auceps circa annum Chr. DCCCCXXIX reliquos Sorabos trans Muldam dominationi Germanorum subjecerat, religio christiana efflorescere potuit. Nunc demum artes in Saxoniae superioris regionibus citra et ultra Salam aequo modo exercebantur.

---

*) Conf. *K. A. Limmer*, *Entwurf einer urkundlichen Geschichte des gesammten Voigtlandes. Gera*, 1825.

Praecipua loca Saxoniae superioris, quae saeculo XI et partim jam saeculo X in vita monasteriorum et in rebus artium in censum veniunt, sunt: Martisburgum, Missna, Ciza, Nuenburgum, Memleben, Erfurtum, Reinhardsbrunnen. Haec loca — praeter externa: Fuldam, Hersfeld, Moguntiam, Bamberg, Halberstadium, Quedlinburgum — sunt respicienda, si artificia illus temporis vetustissimi in regionibus Saxoniae superioris reperiuntur.

Insigniores hujus temporis picturae in illis regionibus adhuc in notitiam non pervenerunt, neque saeculi XII, quamquam numerus monasteriorum valde auctus erat.

Vetustissimae quae ad hoc tempus in regionibus Saxoniae superioris innotuerunt picturarum reliquiae reperiuntur in pilariis cryptae templi monasterialis Memlebensis *). Sunt autem imagines principum, quae temporis injuria paene obliteratae sunt. Fortasse sunt saeculi XIII exeuntis; quod attinet stylum jam germanicae sive gothicae artium epochae sunt adscribendae.

Contigit mihi tam felici esse, ut picturas et illis vetustiores et non multo recentiores

---

*) Conf. *F. Kugler, Kleine Schriften I, pag.* 174 *et* 508. *F. Kugler, Gesch. d. Malerei,* 2. *Aufl. tom. I. pag* 202, *et L. Puttrich, Denkmale der Baukunst des Mittelalters in der königlich preuss. Provinz Sachsen;* fasc. III et IV.

reppererim. Earum vetustissimae sunt duae picturae vitreae, ad quas considerandas nunc pergamus.

Conferamus nos in vicum

Veitsberg

qui prope Weidam oppidum (in magno ducatu Sax. Vimar. in circulo Neostadiensi) situs est. Invenimus templum vetustum; ingressi in duabus chori fenestris picturas in vitro conspicimus.

1. *Habitus loci.*

Chorus templi gothice exstructus est, reliquae autem partes plurimae romanice. Fenestra meridionalis lateris chori, in qua major pictura vitrea (vid. Tab. I) reperitur, in medio columine, quod geometricis ornamentis (*Masswerk*) impletum est, continet figuram vacui orbis (*Medaillon*). Quum per eam imago vitrea appareat, facile intelligitur, hujus ipsius imaginis causa hanc figuram inusitatiorem electam esse. Non est autem haec imago vitrea, ut usitatum erat, orae lapideae jugamento ligneo *)

*) Conf. Theophili Presbyteri diversarum artium schedula (LESSINGS *Werke, herausgegeben von K.* LACHMANN, *Leipzig* 1856, Tom. 10. pag 405). Ubi sermo est de fenestris firmandis, haec verba sunt: (Cap. de simplicibus fenestris) .... et solida ex utraque parte, circumpone ligna clavis firmata et confige ubi volueris.

indita, sed quoniam haec imago major est quam circuitus orbis, extrinsecus clavis metallicis ante fenestram firmata est. Unde intelligi potest, imaginem non ab initio huic loco destinatam fuisse, nam alioquin usitato jugamento ligneo indita esset. Immo potius imago hoc loco serius firmata esse et fenestrae in hunc finem ea, quam nunc habet forma, data esse videtur. Ut ex sequentibus apparebit, argumenta non desunt, quae imaginem epochae artium romanicae assignent. Conjici igitur potest, illam templo vetustiori romanice exstructo et quidem choro, qui locus esse solebat ubi picturae in vitro adhibebantur, originem debere, et fenestrae chori posteriori tempore — ut mihi videtur saeculo XIV — reaedificati, iterum esse insertam.

Alterum vitrum pictum (vid. Tab. II) conspicitur in fenestra in media orientali parte chori, cujus vitro coloribus carenti conjunctum est cum aliis singulis fragmentis coloratis, quae imaginum et ornamentorum deperditorum fuisse videntur.

Instauratio vero ab imperita manu facta est, nam figurae humanae in hac imagine repraesentatae laevum brachium falso redditum est, quamquam ex analogia brachii dexteri facile est intellectu, quomodo duae partes, ex quibus brachium laevum compositum est, conjungendae fuissent.

Etiam aliis fenestris singula florea ornamenta passim indita videmus, quae partim tempori post instaurationem chori originem debere videntur, quae tamen non sunt tanti, ut certi quid de iis dici possit.

Pars templi romanice exstructa habet formas, quae priorem romanice aedificandi rationem significant. Sunt compluribus locis fornices formam crucis quadratae (*Kreuzgewölbe)* referentes, quorum origo, si in universum spectas, tempori a medio saeculo XI *) usque ad initium saeculi XII **) adscribitur.

Pilariorum, singulorum templi articulorum habitus et capita daemonum foedorum adspectu, quae semicolumellas *(Halbsäulchen)* in angulis pilariorum collocatas coronant, tantam vetustatem prae se ferunt, ut hae templi partes ad minimum extremo saeculo XI adsignandae sint. Certa argumenta proferri possunt ***).

---

*) Conf. *W. Luebke*, *Geschichte der Architektur*, *Leipzig* 1855, pag. 219.

**) Conf. *F. Kugler*, *Geschichte der Baukunst*, Tom. II. pag. 22.

***) Vid. *J. J. Mueller*, *Staatscabinet*, Tom. III, Cap. V. pag. 199 sequ. — Quae de historia hujus templi litteris mandata sunt, propius a forma fabulae absunt, tamen historico fundamento sine dublo nituntur, quandoquidem singulae res accuratissime referuntur. Ex chronica monasteriali, quae latine scripta erat, hausta esse videntur. Documentum, quod in tabulario Vimariensi asservatur, est apographum aut latini archetypi germanice redditi aut breviarii ex archetypo germanice conscripti. Conf. et: *K. A. Limmer*, *voigtl. Gesch. Gera* 1825, Tom. I, pag. 3, 126, 127, 144, 229.

Nam hoc templum, antiquissimum Varisciae, anno DCCCCLXXIV a comite quodam ARIBONE et conjuge WILLA conditum, paullo post, anno DCCCCLXXVI et seriore tempore bis a Sorabis destructum est, denuo vero exstructum ab HENRICO agnominato pio, primo quem novimus Advocato Weidae, qui in diplomatis etiam Marascalcus caesareus*) nominabatur et circa saeculum XI exiens sub HENRICO quarto imperatore vixit, cui semper fidelissimus erat. (Anno MLXXXII HENRICUS Advocatus de Weida feudum donavit domino de Tossen oppidum Ronneburg.)

De serioribus fatis templi nihil constat, quamquam varias mutationes subiit; nam totius chori structura medii temporis gothice aedificandi rationis est. Etiam aliae templi partes aliis temporibus mutatae sunt. Ceterum hoc templum praeter picturas vitreas, de quibus exponemus, majorem continet numerum artificiorum germanicorum haud exigui pretii: sculpturarum lignearum et lapidearum, artium aetatis et romanicae et gothicae et posterioris, de quibus nunc dicere non licet. Eorum praecipuae reliquiae sunt picturae in arcu, qui chorum a nave templi disjungit, in quo *judicium supremum* pictum est. Quae pictura, haud scio an

*) *K. A. Limmer*, l. l. pag. 232.

ad aetatem artium romanicam reduci possit, sed restauratio posteriore tempore tentata ita noxae fuit, ut certum judicium de pictura originaria nunc ferre non liceat.

Sed transeamus ad ipsas picturas vitreas describendas.

2) *Descriptio.*

A. Pictura vitrea in fenestra lateris meridionalis chori, quam nostra Tab. I minutam reddit, 2′ in diametro est. A medio margine infimo caulem ascendentem videmus, qui statim in duo brachia dividitur sinistrorsus et dextrorsus, aequaliter discedentia et in fine complurium foliorum coronam desinentia. Continuatio medii caulis figura humana obtegitur, in centro duorum superiorum inferioribus similium brachiorum, quae ab eodem caule oriuntur, sedente, pedibus in inferioribus brachiis proxime ad caulem positis.

Hujus figurae humanae capiti, cujus media pars*) extusa est, gloria circumdatur, quae a tribus radiorum fasciculis, crucis formam reddentibus, dissecatur, et in cujus margine limbus margaritarum conspicitur. In capite ipso crines a media fronte dividuntur et utrobique in cervices defluunt. Barba, pertinens ad aures,

*) In nostra Tab. I haec pars lineis punctatis suppleta est.

non ita plena ambit severum os et mentum acuminatum. Frons corrugata est, supercilia flexuosa coëunt. Palma sinistrae manus ut benedicentis spectatori obversa ante pectus est. Dextera manus a latere tenet paullo curvatam fasciam *(Spruchband)* quasi membranaceam, cui litteris majusculis latinis verba inscripta sunt: Ego flos campi et lilium convallium.

Quod attinet ad vestimenta, primum pallium conspicimus, quod coxas amplexum a sinistro humero per medium pectus defluit, super sinistrum brachium ad latus transit et inde ad gremium sedentis se incurvat, ita ut dexter humerus et sinistrum genu non tegantur, dum crus dexterum usque ad mediam tibiam tegitur.

Secundum conspicimus vestimentum breve a coxis incipiens nec ultra quam ad mediam tibiam sinistram pertinens, cujus latus limbus rosulis *(Rosetten)* exornatus est. Apparet autem hoc vestimentum in sinistro genu, quod a pallio non tegitur.

Tertium in dextera parte pectoris conspicitur tunica longa, ad pedes usque pertinens, quae in dextero brachio ample manicata apparet.

Denique in ambobus brachiis sub amplis manicis tunicae manicas brachia arcte ample-

etentes et anguste plicatas conspicimus, quae interulae sive indusii esse videntur.

Quod ad colores attinet, vividissimi et lucidissimi sunt, quos in picturis vitreis vetustis viderim. Tota pictura cum brachiis arboreis splendido ignis rubore (*feuercarmoisinroth*) quasi gloria cingitur, excepto caule sive stipite qui per hanc gloriam usque ad marginem vitri descendit. Hic caulis cum brachiis suis — caulis autem et brachia striata sunt — languidae et nigricantis viriditatis est. Foliorum, quae brachia coronant, in dextera parte figurae infima tria — ab infimo initium capimus — primum viridis, secundum coerulei, tertium crocei coloris; duo juxta: alterum crocei, alterum viridis; superius sequentia: primum crocei, secundum viridis, tertium crocei; suprema: primum miniato-rubri, secundum viridis, tertium crocei coloris sunt. In parte sinistra picturae tria infima folia, primum miniato-rubri, secundum albi, tertium crocei; media: primum miniato-rubri, secundum albi, tertium viridis coloris sunt. Fundus picturae multis minoribus et tenerioribus frondibus in modum tapetis exornatus, coloris coerulei nigricantis est, frondes autem in eo multo clariores sunt. Gloria circum caput viri sancti lutei coloris, tres radiorum fasciculi in eo viridis coloris sunt. Totum caput cum collo,

manus et pedes colorem carnis habent, sed in barbam et capillos pigmentum nigricans inductum est. Pallium crocei rubicundi est, tunica albi; vestimentum, quod in sinistro genu conspicitur, viridis coloris; limbus ejus cum clarioribus rosulis purpurei est. Manicae brachia arcte amplectentes russei coloris sunt ut manus ipsae. In fasciam, quam manus dextera tenet, nigrum pigmentum inductum est, e quo limbus angustus circumcirca ambiens et litterae albae emicant.

B. Pictura vitrea fenestrae orientalis lateris chori, quam Tab. II minutam reddit, non integra est, fragmentum quod restat altitudine 14″, longitudine 15″ est. Singulae partes ejusdem proportionis sunt ut in tabula priori. Nihil nisi figurae virilis imaginem pectus tenus servatam conspicimus. In capite*) gerit tegumentum rosulis et in imo margine limbo margaritarum et gemmarum exornatum. Capilli leviter cincinnati in cervices defluunt. Barba densa, proprio modo e lege symmetriae composita, ambit os, mentum, genas. Longa supercilia leviter incurvata sunt et coëunt ut in figura Tab. I. Nasus est rectus et habet acumen trifolio simile. In media fronte est umbra triquetra. In collo musculi extensores

*) Conf. Tab. III.

significati sunt. Ab humeris pallium cum limbo collari *(Kragen)* suspensum est et in tergum labitur, ita ut media pars pectoris et brachia inferiora non tegantur. Sub hoc pallio tunica est circa coxas cincta, attamen in medio pectore alterum cingulum pariter ac supradictum rosulis exornatum conspicitur, quod in seriore restauratione picturae hoc loco falso adhibitum esse videtur. Brachium sinistrum perperam compositum, quamquam facile intelligi potest, quomodo duae partes, ex quibus brachium consistit, componendae fuerint. Dexterum brachium e pallio prominet. Utrum tria folia prope manum scipionis fuerint, quem figura nostra in manu ferebat, an reliquiae similium frondium ut in Tab. I sint, cognosci non potest. Manicae tunicae amplae sunt, sub his autem ut in figura Tab. I vestimentum usque ad manum pertinens, brachium arcte amplectens et anguste plicatum apparet.

Colores hi sunt. Capitis tegumentum crocei rubicundi, ceteri capitis partes, collum, manus cum angustis manicis russei — et quidem paullo subfusci — coloris sunt. In barbam et capillos ut in Tab. I pigmentum nigricans inductum est. Pallium coloris coccinei, tunica lutei, duo cingula purpurei, tria folia — ab intimo initium capimus — primum viridis, secundum lutei, tertium miniato-rubri coloris sunt. —

3) *Interpretatio.*

Si quaerimus, quid significent hae duae picturae vitreae, ita interpretor.

A. Primum quod attinet ad imaginem in Tab. I repraesentatam, facile intelligitur, caput longis defluentibus et in media fronte divisis capillis, non ita copiosa barba et fronte corrugata praeditum, typum esse capitis Christi *), qui duos contrarios typos, quibus ars christiana utebatur, conciliare vult. Horum typorum alter formosior repetendus e *Psal.* 45, 3, ubi verba ita se habent:

> Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te deus in eternum;

et e prosopographia, quae continetur in illa nota epistola Lentuli **) his verbis:

> Homo quidem staturae procerae, spectabilis, vultum habens venerabilem, quem intuentes possunt et diligere et formidare. Capillos vero circinos et crispos aliquantum caeruliores et fulgentiores, ab humeris volitantes, discrimen habens in medio capitis juxta morem Nazarenorum, frontem planam et serenissimam, cum facie sine ruga ac macula aliqua, quam rubor moderatus venustat. Nasi et oris nulla

---

*) Conf. *Heinrich Alt*, *die Heiligenbilder*, *Berlin* 1845, pag. 101 sequ., et: *Heinr. Otte*, *Handbuch der christlichen Kunstarchaeologie*, 3te *Aufl.*, *Leipzig* 1854, pag. 298.

**) Conf. Gabler, Opp. 636 sequ.

prorsus est reprehensio, barbam habens copiosam et rubram, capillorum colore, non longam sed bifurcatam, oculis variis et claris existentibus, in increpatione terribilis, in admonitione placidus et amabilis, hilaris servata gravitate, qui numquam visus est ridere, flere autem saepe etc.

Alter deformior typus nititur Esai. 2, 14, 15, verbis:

sicut obstupuerunt super eum multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas etc.

et Esai. 53, 2, 3:

Et ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor. Et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum.

Etiam Clemens Alexandrinus *) haec respicit dicens:

Τὸν δὲ κύριον αὐτὸν τὴν ὄψιν αἰσχρὸν γεγονέναι, διὰ Ἡσαΐου τὸ πνεῦμα μαρτυρεῖ, καὶ τίς ἀμείνων κυρίου· ἀλλ᾽ οὐ τὸ κάλλος τῆς σαρκὸς, τὸ φαντασιαστικὸν. Τὸ δὲ ἀληθινὸν καὶ τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος ἐνεδείξατο κάλλος, τῆς μὲν τὸ εὐεργετικὸν, τὸ δὲ ἀθάνατον τῆς σαρκὸς.

In ultimis hujus loci verbis ad hos duos typos conciliandos via munita est. —

---

*) Clem. Alex. Paedag. III, c. 1.

Haud dubie nostram imaginem *Salvatoris*, id est Christi, redemptoris glorificati, esse videmus.

Sinistram manum sustulit fideles populos benedicens, dextera non tenet alibi usitatum librum vel volumen, sed fasciam, hoc dicto ex Cantic. cantic. 2, 1, sumpto, inscriptam: ***Ego** flos campi et lilium convallium*, quae verba Salomon quasi carmine amoebaeo Christum ut sponsum ad ecclesiam dei ut sponsam dicentem facit.

Deinde Christus non sedet ut alibi in arcu coelesti vel throno, sed in brachiis plantae arboreae. Hoc nos reducit ad arborem genealogicam sive *stemma Isai*, cujus repraesentatio jam in antiquissimis picturis vitreis frequens est*) et nititur in Esai. 11, 1 et 10**):

Et egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet;

In die illa radix Jesse qui stat in signum populorum ipsum gentes deprecabuntur et erit sepulchrum ejus gloriosum.

Haec repraesentatio arboris genealogicae Isai sive Jesse plerumque consistit ex compluribus figuris, quae ramis et palmitibus inter se junctae sunt. Singulae figurae imagines majorum

---

*) Conf. *H. Otte, christl. Kunstarchaeologie*, pag. 310 sequ. et: *W. Wackernagel, die deutsche Glasmalerei*, I, pag. 37 sequ.

2) Conf. etiam Epist. ad Rom. 15, 12.

Christi continent: Davidem, Mariam etc. Summa figura Christus, interdum deus ipse *) repraesentatur. Infima figura plerumque continet imaginem Isai, auctoris generis Davidici, e cujus coxis arbor genealogica radices agit, cujus stipes per vel circa singulas figuras secundum aetatem sursum se excipientes ascendit. Sed interdum stemma ad Adamum usque reducitur. Tum quidem non multum aberat, quin de *arbore vitae* cogitaretur, cujus ramus in Adami sepulcro plantatus et e cujus ligno, postquam in arborem excreverat, crux Christi asciata erat. E cruce autem Christi denuo arbor vitae germinabat, cujus folia et fructus ad salutem gentium conducibilia erant.

De hac arbore vitae leguntur haec verba Apocal. 22, 2:

In medio plateae ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitae afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.

Christus autem ipse *germen domini* nominatur Esai. 4, 2:

In die illa erit germen domini in magnificentia et gloria et fructus terrae sub lunis, et exultatio his qui salvati fuerint de Israel;

et Ezech. 34, 29:

Et suscitabo eis germen nominatum etc.

---

*) Conf. *Boisserée, Denkmale der Baukunst am Niederrhein, Taf. 72.*

Verbum *germinis salutis* medio aevo non raro usurpabatur. Sic in carmine: *der Wartburgkrieg*):*

der saelden zwî si nimmer wirt berüeren.

Omnes has similitudines arboris vitae, arboris crucis etc. cum aliis aliunde petitis additamentis commixtas offendimus comprehensas in imagine aspectabili in carmine modo citato, in aenigmatis **) quae Klingsor Wolframo de Eschenbach solvenda proponit. Verba sunt:

Klingsor:

Ein edel boum gewahsen ist
in einem garten sô mit wunniclîcher list:
sîn wurzel hânt der helle grunt durchgangen:

Sîn tolde rüeret an den trôn
dâ der süeʒe Got bescheidet vriunde lôn;
die este hânt den garten umbevangen;

Der boum an ganzer zierde stât und ist geloubet schône,
dar ûfe singen vogelîn
süeʒes sanges wîse nâch ir stimme fîn,
nâch maneger kunst sô haltens ir gedône.

---

*) *Der Wartburgkrieg, herausgegeben, übersetzt und erläutert von K. Simrock, Stuttg. u. Augsburg* 1858, pag. 77.

**) *Wartburgkrieg*, pag. 99 sequ. — Hoc carmen omne studium historiae artium medii aevi juvat eo, quod multa symbola obscuriora, qualia ars clericalis, sensu angustiori intellecta, excogitaverat, denutat per lusum aenigmatum, in quibus Klingsor partes scholasticae artis clericalis tenet, Wolframus de Eschenbach autem vices novae artis laïcae sustinet et naturali sensu, fretus auxilio dei, aenigmata solvit.

Under dem boume lît ein tier,
daȝ heiȝet wol von rehter art Alistenier:
eȝn nimt niht war des obeȝes, des da rîset,

Eȝ velt diu sunne und ouch der wint.
eȝ lesent anders harte wîsiu Gotes kint;
daȝ tuont si wol als in ir msister wîset.

Der obene ûf dem boume stât und brichet an dem zwîge.
swer mir nu raetet disen stam,
vor sînem lewen munde wil ich sîn ein lam:
ich teil im, daȝ ich im zuo rehte swîge.

Wolfram:
Der garte dast diu kristenheit
der edele boum daȝ ist daȝ vrône kriuze breit,
wît unde hôh, sô hât eȝ gar bevangen

Den himel und der helle grunt,
dâ der leide tiubel wachet manege stunt;
al dâ er lît, dâ muoȝ in dicke erlangen.

Swer mit Gote wil genesen, der neme an sich daȝ bilde
und vüer daȝ kreuze an sîner hant:
er ist behwot, al quaeme er (ot) in tûsent lant;
er ist gewis, der tiubel wirt im wilde.

Nu grîfe ich an die este breit,
der daȝ edele kriuze in al die werlde treit
in maneger hant: swer sich dâ mite decket,

Der ist behuot naht unde tac
und ist dem leiden tiubel gar ein swertes slac:
sîn kranker sin der wirt dâ von erschrecket.

Des kriuzes kraft 'erloeset hât die îsrâhelischen
geste:
diu wurzel durch die helle wuot
und nam dar ûȝ daȝ reine himelische guot:
dâ von zerbrach diu leide helle veste.

Omnino in formando stemmate Isai rationem genealogiae non firmiter teneri, argumento est, quod etiam praecipua dogmata christiana et praecipua momenta vitae Christi stemmate Isai repraesentando adnectebantur, exempli causa: Annunciatio Mariae, nativitas Christi, crucifixio, resurrectio etc.

Fortasse hoc modo etiam in nostra tabula folia versicoloria, quae palmites coronant, habenda sunt pro foliis et fructibus, quae arbor vitae ad salutem gentium gignit. Etiam numerus duodenarius, quem Apocal. 22, 2 habet: *lignum vitae, afferens fructus duodecim per menses singulos reddens*, cum nostra tabula convenit. Nam numerus ternarius foliorum juxta fasciam litteris inscriptam quater positus — fortasse ex analogia quatuor temporum anni — respondet Apocalypsi. Unum enim folium, quod in numero ternario semel desideratur, fascia obtectum esse putandum est. In altero latere tabulae, quamquam tantum novem folia conspicimus, tamen lex symmetriae, tota tabula servata, docet, hic et

quidem in palmite infimo casu fortuito symplegma trium foliorum evanuisse. —

Etiam in picturae nostrae coloribus rationes symbolicae sunt quaerendae, quamquam THEOPHILUS regulas determinatas affert*), quibus colores essent componendi, dicens:

> Eodem modo facies campos ex albo clarissimo, cujus campi imagines vesties cum saphiro, viridi, purpura et rubicundo. In campis vero saphiri et viridi coloris eodem modo depictis, et rubicundi non picti, facies vestimenta ex albo clarissimo, quo vestimenti genere nullum speciosius est. Ex supradictis tribus coloribus pinges in limbis ramos et folia, flores et nodos, ordine quo supra . . . . . . Croceo vitro non multum uteris in vestimentis nisi in coronis et in eis locis ubi aurum ponendum esset in pictura.

Etiam in nostra pictura tunica alba Christi in coeruleo fundo posita est, et croceum rubicundum pallii ex hac regula albo oppositum est. Nihilominus hic in eligendis coloribus aliae rationes in considerationem videntur venisse.

Nam in supradicti Cantic. cantic. cap. V, ex quo verba fasciae inscripta sumpta sunt, de-

---

*) Conf. THEOPHILI PRESBYTERI diversarum artium schedula (*LESSINGS Werke, herausgeg. von K. Lachmann*, Vol. X, pag. 401, cap. de furno, in quo vitrum coquitur). — Hoc manuscriptum iis temporibus originem debet, quae ad picturas nostras judicandas sunt respicienda, scilicet saecul. XI.

scriptio sponsi (Christi), quae a sponsa datur, reperitur, et inter alia vers. 10 et 11:

Dilectus meus *candidus et rubicundus*, electus ex milibus. Caput ejus aurum optimum. Comae ejus sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus.

Etiam Genes. 49, 11, haec leguntur:

Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum.

Deinde Esai. 63, 1, 2:

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? — Ego qui loquor justitiam et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torcularium.

Croceum autem rubicundum, cujus coloris in pictura nostra pallium Christi est, certo vini colori et nomini *rubicundi* respondere, facile intelligitur.

Ad biblicam significationem albi coloris haec loca referenda sunt:

Apocal. 19, 8, ubi de sponsa agni dei:

Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim justificationes sunt sanctorum.

Tum Evang. Luc. 23, 11:

Sprevit autem illum (Christum) Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba.

Hoc loco color albus *majestatis* intelligendus est, qua Christus illudebatur.

Deinde color albus symbolum integri et innocentis animi, Ecclesiast. 9, 8:

Omni tempore sint vestimenta tua candida.

Gravissimus autem est ille locus Matth. 17, 2, ubi de Christo dicitur:

et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

Quum vero Christus glorificatus in coelo sedem suam habeat, fundus coeruleus picturae nostrae circa Salvatorem pro coelo habendus est. Ipse vero Salvator vestimentis albis et rubicundo-croceis indutus, similis est stellae, quae in coeruleo coelo fulget. Color autem ruber, flagrans et lucidus quasi aurora fundum coeruleum hujus coeli cingit.

Cui nunc non in mentem veniunt verba Christi de se ipso dicentis: Apocal. 22, 16:

Ego sum genus et radix David, stella splendida et matutina?

Quae verba ipsa animo artificis in picturae nostrae compositione obversata esse videntur.

In majorem autem glorificationem Salvatoris, in fasciam quam hic manu tenet addidit verba ex Cantic. cantic. 2, 1:

Ego flos campi et lilium convallium.

Denique, fuit hic imago non singularis, sed ut caulis arboris deorsum usque ad marginem picturae pertinens demonstrat, summa pars in re-

praesentato stemmate Isai; caulis enim percurrens singulas imagines in totum conjunxit.

Totum stemma quondam sine dubio fenestrae chori romanice ut reliquae partes templi exstructi inditum erat, sed casu, nescio quo, chorus, fenestra et connexus imaginum diruta et sublata sunt et tantum duae partes totius compositionis servatae, quae postero tempore alio loco adhibitae sunt.

Secundum fragmentum hujus stemmatis Isai mihi esse videtur:

B. pictura vitrea quam minutam Tab. II (conf. et Tab. III) reddit.

Et tegumentum capitis auricolor atque pretiosum, et pallium coloris coccinei docent, hanc imaginem principis cujusdam esse. (Vid. infra sub: 7. *Antiquaria.*)

Hujus imaginis totius habitus consentio cum Tab. I in proportionibus, in technicis, in tractandis nudis, in ornamentis et in manicis arcte plicatis, demonstrat, has duas picturas coaevas et a manu unius et ejusdem artificis profectas esse.

Tripartitum autem foliorum symplegma juxta manum dexteram eorumque formae et coloris propinqua affinitas cum iis in Tab. I, suspicionem movent, hanc ipsam imaginem partem ejusdem stemmatis Isai fuisse.

Jam quaeritur, quae stemmatis pars in hac tabula conservata sit?

Quivis primum de DAVIDE vel SALOMONE cogitabit, qui ambo majores sunt CHRISTI, et qui etiam sensu non corporeo CHRISTO praecessisse putabantur. Nam sicut DAVID pia fide gigantem GOLIATH vicit, ita CHRISTUS fide dei peccatum mundi superavit. Et sicut SALOMO, regnans in pace, templum condidit, ita CHRISTUS, revera in pace regnans, ecclesiam christianam fundavit.

Leve momentum exstat quod magis DAVIDEM quam SALOMONEM indicet. Color enim faciei nostrae imaginis color carnis est proprie fuscus, magis russeus quam capitis CHRISTI in Tab. I; quocum conveniunt verba Bibliorum Lib. 1 SAMUEL. 16, 12, quo loco de DAVIDE dictum est:

> Erat autem *rufus* et pulcher aspectu, decoraque facie.

Quum etiam negari non possit, studium in formositate faciei virili exprimenda positum esse (conf. Tab. III) quamquam ars illius temporis ad hunc finem adjumentorum inops erat, liceat, in imagine nostra interpretanda de DAVIDE cogitare.

De rege christiano sancto cogitare non licet, quod nullum vestigium gloriae in capite animadvertitur. Unum restaret, ut imaginem

fundatoris templi vel donatoris picturarum vitrearum esse crederemus. Hoc nos duceret aut ad Aribonem comitem, primum templi fundatorem, aut ad Henricum pium, Advocatum de Weida, cujus liberalitate templum reaedificatum est, sed ab his pallium et tegumentum capitis regale aliena essent.

4) *Aestimatio aesthetica.*

Quod attinet ad compositionem picturarum, in contemplanda imagine Christi negari non potest, in recto habitu Salvatoris propriam quandam majestatem repraesentari, quocum gestus manus benedicentis apte convenit. Etiam gestus dexteri brachii, cujus manus fasciam litteris inscriptam tenet, est moderatus et gravis.

Tractus vestimentorum eorumque plicarum in longitudinem patet, quod praesertim in eo modo cognoscitur, quo pallium ab humero per pectus defluit, super brachium ad latus transit et denique ad gremium sedentis se incurvat. Tunicae autem infimae plicae nec minus manicae dexterae amplitudini creandae inserviunt. Quod in sinistro genu supra latum limbum praecipue observatur, artifex corporis formas per vestimenta conspicuas reddere studet, quamquam delineatio plicarum in dextero genu et in sinistro humero lineis ellipticis et circularibus est facta, quae generis antiquioris et

rigidioris picturarum romanicae artium aetatis propriae sunt.

Habitus palmitum crassitiei peculiaris est, folia etiam quae eos coronant characterem magis architectonicum quam graphicum habent. Etiam frondes minores et pallidiores, quibus coeruleus fundus in modum tapetis intertexitur, typum brevem et teritem ornamentorum aetatis artium romanicae plane prae se ferunt.

Notandum est, non totum fundum nexum frondium organice cohaerentium esse, sed singulae vitri particulae, ex quibus fundus constat, frondium designationem pro se aliam habent. Hoc fundo tapeti simili admonemur, omnino picturas vitreas in locum tapetum substitutas esse, quibus antea templorum fenestrae velabantur; et picturas vitreas antiquiores ad tapetes imitandos compositas esse, ita ut versicolor fenestra vitrea quodammodo pro translucente tapete haberetur.

Ceterum totum genus repraesentandi nostrae picturae proprium, symbolicum est, quod aevo medio priore excolebatur.

Quod attinet ad colores, harmonia in singulis partibus nostrae picturae cernitur, sed effectum totalem nec assecutus est, nec ut mihi videtur assequi pictor studuit. Croceum rubicundum pallii cum fundo coeruleo et cum alba tunica, deinde viriditas palmitum cum

rubra aurora marginis, denique viriditas vestimenti circa genu sinistrum cum ejus limbo purpureo et cum alba tunica bene consentit, sed viriditas palmitum a fundo coeruleo dissentit, et parva pars viridis vestimenti, sinistrum genu amplectentis, iis quae praeter supra dicta circum circa sunt, inconcinne opposita, toti connexui repugnat, quare optandum esset, ut hic quoque locus croceo rubicundo pallii obtegeretur.

Nihilominus totius picturae colorum effectus non injucundus adspectu, eorumque vigor eximius est.

Caput imaginis regis (vid. Tab. II et III) exemplar est gravitatis illius, ab omni animo motu remotae, quae meliorum picturarum romanicae artium aetatis inprimis propria est. Praeterea studium in formositate faciei virili exprimenda positum agnoscendum est. Singularis proprietatis est barbae et crinium hujus capitis designatio *) symmetrica et quasi architectonica. Quin etiam nasi cacumen formam habet symmetricam trifolio similem. Attamen formam faciei detrimentum cepisse dici non potest.

*) In hunc modum simillima sunt sanctorum capita picta in parietibus monasterii virginum *Nonnberg* prope Salisburgum, inprimis unum, quod refert G Heider in opere: *Mittelalterliche Kunstdenkmale in Salzburg*, *Wien* 1857, Tab. I. Hae picturae parietum saeculi XII ineuntis esse dicuntur.

Modus, quo pallium a latis humeris in tergum defluit, ita ut rex liberum et apertum pectus praebeat, virtutem et virilitatem prodit, quocum rubor faciei optime consentit.

Dolendum est, hanc imaginem non integram esse, nam etiam quod attinet ad colores, pallii rubrum coccineum et color purpureus amborum cingulorum cum levi luteo tunicae bene consentit.

5) *Technica.*

Quod attinet ad compagem harum tabularum vitrearum, statim videmus, singulas vitri particulas ex proportione parvas, suo quamque partem colore penitus imbutam esse. Quin etiam, ubi cohaerens planities uno eodemque colore est — ut in Tab. I pallium Christi — tamen haec planities e compluribus particulis — hic quidem e quatuor — composita est. Taeniae plumbeae, quibus singula vitra includuntur et inter se continentur, lineas quibus singulae partes picturae terminantur usque quaque sequuntur. Ubi autem plumbeae taeniae partem picturae oblique secant — ut in dextero latere pallii figurae Tab. II — causa est sine dubio fortuita fractio vitri. In singulis vitri partibus designatio linearis uno fusco colore nigricante (*Schwarzloth*) e cinere cupri (*Kupferasche*) et vitro plumbeo (*Bleiglas*)

conflato facta est, qui urendo cum superficie vitri coalescit. Qui color in picturis nostris et secundum lineas adhibitus est et ita ut superficies vitri alius coloris tota tenuiter hoc colore induceretur, quo facto vitri color nigricantior reddebatur. Si vero pictor — velut in tabulis nostris in litteris, in fundo coeruleo lucidioribus frondibus internexo, in limbis vestimentorum rosulis distinctis — lucidiora loca e colore nigricante apparere volebat, modo tantum inducti nigricantis coloris *(Schwarzloth)* radebat, quantum opus erat ad fundum lucidiorem restituendum. Haec autem omnia sunt propria technices antiquissimae periodi artis in vitro pingendi. Haec technice jam saeculo XI adhibebatur et usque ad saeculum XIV exercebatur.

Accurate technice in fabricandis picturis vitreis descripta est a THEOPHILO PRESBYTERO in libro saeculi XI supra memorato: *Diversarum artium schedula* *). Ad hanc technicen praecipue spectant haec loca:

Cap. de componendis fenestris. — Cum volueris fenestras componere vitreas, primum fac tibi tabu-

*) Liber secundus; vid. *LESSINGS Werke, herausgegeben von K. LACHMANN*, Tom. 10, pag. 393 sequ. Conf. etiam *M. A. GESSERT, Geschichte der Glasmalerei, Stuttgart und Tübingen* 1839, pag. 45 sequ. et: *WILHELM WACKERNAGEL, die deutsche Glasmalerei, Leipzig* 1855, 1, pag. 49 sequ

lam ligneam aequalem tantae latitudinis et longitudinis, ut possis unius cujusque fenestrae duas partes in ea operari, et accipiens cretam atque radens cum cultello per totam tabulam, asperge desuper aquam per omnia, et frica cum panno per totum. Cumque siccata fuerit, accipe mensuram unius partis in fenestra longitudinem et latitudinem, pingens eam in tabula regula et circino cum plumbo vel stagno, et si vis limbum in ea habere, pertrahe cum latitudine qua tibi placuerit, et opere quo volueris. Quo facto pertrahe imagines quot volueris in primis plumbo vel stagno, sicque rubeo colore sive nigro, faciens omnes tractus studiose, quia necessarium erit cum vitrum pinxeris, ut secundam tabulam conjungens umbras et lumina. Deinde disponens varietates vestimentorum, nota uniuscujusque colorem in suo loco, et aliud quodcumque pingere volueris littera colorem signabis. Post haec accipe vasculum plumbeum, et mittens in eo cretam cum aqua tritam, fac tibi pincellos duos vel tres ex pilo, videlicet de cauda mardi, sive grisii, vel spirioli, aut catti, sive de coma asini; et accipe unam partem vitri cujuscumque generis volueris, quae ex omni parte major sit loco in quo ponenda est, adhibens eam campo ipsius loci, et sicut consideraveris tractus in tabula per medium vitrum, ita pertrahe cum creta super vitrum exteriores tractus tantum, et si vitrum illud densum fuerit sic ut non possis perspicere tractus qui sunt in tabula, accipiens album vitrum pertrahe super eum, utique cum siccum fuerit pone densum vitrum super album elevans contra lucem, et sicut perspexeris, ita pertrahe. Eodem modo designabis omnia genera vitri

sive in facie, sive vestimentis, in manibus, in pedibus, in limbo, vel in quocumque loco colores ponere volueris.

Cap. de dividendo vitro. Postea calefacies in foco ferrum divisorium, quod sit per omnia gracile, sed in fine grossius, quod cum canduerit in grossiori parte appone vitro, quod dividere volueris, et mox apparebit initium fracturae. Si vero vitrum durum fuerit, madefac illud digito tuo ex saliva in loco, ubi ferrum posueras, quo statim fisso, secundum quod dividere volueris, trahe ferrum et fissura sequetur etc.

Cap. de colore, cum quo vitrum pingitur. — . . . Quod si litteras in vitro facere volueris, partes illas cooperies omnino ipso colore (*Schwarzloth*), scribens eas cauda pincelli.

Cap. de ornatu picturae in vitro. Umbras et lumina vestimentorum, si studiosus fueris in hoc opere, poteris eodem modo facere, sicut in pictura colorum, tali modo. Cum feceris tractus in vestimentis ex colore praedicto (*Schwarzloth*), sparge eum cum pincello ita ut vitrum fiat perspicax in ea parte, qua luminam facere consuevisti in pictura et idem tractus in una parte sit densus in altera levis, atque levior cum tanta diligentia discretus, quasi videantur tres colores appositi. Quem ordinem etiam observare debes infra supercilia et circa oculos atque nares et mentum, ac circa facies juvenum, circa pedes nudos et manus et reliqua membra nudi corporis, sitque species picturae composita colorum varietate.

Cap. de furno in quo vitrum coquitur. Sit etiam quidam ornatus in vitro, videlicet in vestibus, in

sedibus, et in campis, in saphiro, in viridi et albo, purpureoque colore claro. Cum feceris priores umbras in hujusmodi vestimentis, et siccae fuerint, quicquid reliquum est vitri, cooperi levi colore, qui non sit tam densus sicut secunda umbra, nec tam clarus sicut tertia, sed inter has medius. Quo exsiccato fac cum cauda pincelli juxta priores umbras, quas feceras, subtiles tractus ex utraque parte, ita ut inter hos tractus et priores umbras illius levius coloris subtiles tractus remaneant. In reliquo autem fac circulos et ramos, et in eis flores ac folia eodem modo, quo fiunt in litteris pictis, sed campos, qui coloribus implentur in litteris, debes in vitro subtilissimis ramusculis pingere. Potes etiam in ipsis circulis interdum bestiolas et avicolas et vermiculos ac nudas imagines inserere.

Color russeus, qui in picturis nostris nudis corporis partibus adhibitus est, antiquissimae periodi artis in vitro pingendi proprietas est, quae secunda periodo prorsus paene evanescit et longo intervallo post iterum reperitur.

Cujus coloris sicuti diversorum aliorum graduum rubri praeparatio ex parte e casu pendebat, ut e verbis Theophili apparet:

Cap. VII, de purpureo vitro. Si vero perspexeris quod se forte vas aliquod in fulvum colorem convertat, qui carni similis est, hoc vitrum pro membrana habeto, et auferens inde quantum volueris, reliquum coque per duas horas, videlicet a prima usque ad tertiam et habebis purpuream levem, et rursum coque a tertia usque ad sextam, erit purpurea rufa et perfecta.

Non minus casui obnoxia erat praeparatio duarum specierum coloris crocei, quae in picturis nostris inveniuntur. De hac dicit THEOPHILUS:

Cap. VI, de croceo vitro. Quod si videris vas aliquod in croceum colorem mutari, sine illud coqui usque horam tertiam, et habebis *croceum leve*, et operare inde quantum volueris ordine quo supra. Si vis permitte coqui usque horam sextam et habebis *croceum rubicundum;* fac etiam inde quod libuerit.

Demum a saeculo XIV vitrearii didicerant, uni vitri segmento complures colores inurere, quo facto nova periodus artis in vitro pingendi initium cepit.

6) *Antiquaria.*

Modus, quo CHRISTUS pallium coxas amplexum gerit, in CHRISTI imaginibus saeculorum XI et XII frequentissime invenitur. Etiam in miniaturis manuscripti WERNHERI monachi Tegernseensis, quae ex initio saeculi XIII oriundae sunt, similis pallii gestio est. KUGLERUS eam ita describit*):

Der Mantel besteht entweder aus einem grossen Stück Zeug, nach Art der Toga, welches meist um den Leib gewunden und um die Schulter geschlagen wird, — was jedoch nur nach den aus früherer

---

*) F. KUGLER, *Kleine Schriften*, Tom. I, pag. 34, confer et: J. FALKE, *die deutsche Trachten- und Modewelt*, *Leipzig* 1858, Tom. I, pag. 133.

Zeit überlieferten Bildern, wo für Christus, die Apostel und Patriarchen und für die Engel das antike Kostüm beibehalten war, in die unsrigen eingeführt zu sein scheint; oder er ist kleiner, nur bis gegen die Knöchel gehend, mit einem kurzen zurück hängenden Kragen und mit besonders bezeichnetem Futter.

Pallium secundo loco descriptum est in nostra Tab. II, ubi tantum pectore tenus conspici potest. Hefener-Alteneck in opere de vestitibus Christianorum aevi medii *) pallium principale saeculo XII funiculo vel fibula in medio pectore adstringi dicit, quod in nostram principis imaginem cadit. Limbus pallii qui prius in usu fuit decoratus gemmis et margaritis, tempore modo commemorato exolevit. In imagine sepulcrali imperatoris Friderici Barb. ab Hefnero data, pallium non ita longum est, in medio pectore adstrictum et pars collum amplexa, ut in nostra Tab. II circumflexa est **). Porro tunica ut in nostra imagine Christi usque ad pedes pertinet et ut in imagine principis nostra lato cingulo cincta est. Omnino vestis principum ***) saeculo XII et

*) *v. Hefener-Alteneck, die Trachten des christlichen Mittelalters.* Introduct. pag. 20 et Pars I, Tab. 23; Descript. pag. 31 — 33.

**) Conf. et: *Gust. Heider, mittelalterliche Kunstdenkmale in Salzburg*, Tab. I, quae pictura initio saec. XII adscribitur.

***) Conf *J. Falke, deutsche Trachten- u. Modewelt*, p. 62, 63

jam saec. XI fuit *talaris*, id est vestis ampla, usque ad calces pertinens, circa coxas cingulo cincta, sicut in nostris duabus tabulis videmus. Christum etiam tunica talari indutum esse, non mirandum est, quoniam Christus princeps est coeli. Kuglerus de manuscripti Enbidt *) miniaturis tractans, de diversis speciebus tunicae dicit:

Die eigentliche Tunica ist von verschiedener Länge, bis an die Kniee oder bis gegen die Knöchel reichend, wie es scheint, je nach der geringeren oder grösseren Würde der Personen.

Aliud exemplum vestimenti perizonio similis, quod hic in genu Christi sinistro (vid. Tab. I) conspicitur, non compertum habeo, neque tale quid in operibus de vestitibus citatis commemoratur.

Mitram principalem **) gemmis et margaritis ornari, quemadmodum in nostra imagine Tab. II videmus, saeculis XI et XII usitatum erat ***).

Capilli longi †) et in cervicem defluentes, et barba copiosa sed non ita longa saec. XII et tempore Hohenstaufiano in more erant, quales etiam nostrae duae tabulae offerunt. Ima-

*) *Kugler*, *Kleine Schriften*, Tom. I, pag. 42.

**) Conf. *J. Falke*, l. l. I, pag. 144.

***) Conf. et: *Hefener-Alteneck*, pars I, Tab. 79.

†) Conf *J. Falke* l. l. I, pag. 63.

go Friderici Barb. imperatoris jam commemorata, barbam exiguae longitudinis, paullum divisam habet, ut in nostra Tab. II et III.

Forma fasciae litteris inscriptae *(Spruchband)* in finibus nondum involutae vetustior est, saeculis XI et XII usitata.

Litterarum ipsarum figura simillima est inscriptionibus Thuringicis saeculi XII *). Litteris enim adhuc est forma romanarum majuscularum exceptis A, E, M, in quarum forma primus transitus ad recentiorem gothicam. Litterae M ambae formae, vetustior et recentior in inscriptione occurrunt.

Forma etiam gloriae saec. XI et XII est.

7) *Subsidia historica.*

De aetate ambarum picturarnm vitrearum nihil constat. Quum vero, ut jam supra dictum est, Henricus pius, Advocatus de Weida, cujus nomen saeculo XI exeunte in documentis exstat, templum S. Viti in vico Veitsberg denuo **) aedificaverit et exornaverit, in sacrario S. Mariae hujus templi sepultus fuerit, et propter multas pias donationes agnomen pii acceperit, facile suspicio subit, etiam fenestras vitreas pictas, si illud tempus spectas pretio-

*) Conf. Otte, *Handbuch der christl. Kunstarchaeologie; 3te Aufl.*, pag. 239 sub num. II (anni MCL).

**) Conf *J. J. Mueller*, *Staatskabinet*, Tom III, cap. V.

sissimas, liberalitate ejusdem ad templum exornandum donatas esse.

8) *Definitio temporis.*

Omnibus, quae his picturis vitreis afferre poteramus, comparatis, ex exstructione templi, quae ab origine romanica et saeculi XI exeuntis est, e compositione et relationibus symbolicis harum picturarum, e technicis et antiquariis earum proprietatibus, rationes idoneas repetimus, ex quibus concludi possit, has ambas picturas saeculi XII, non tamen exeuntis esse. —

9) *Locus originis.*

Neque de loco originis certi quid afferri potest. Nihil est causae, cur originem extra terras Saxoniae superioris quaeramus. Si vernaculae arti has picturas adscribere vellemus, proximum cogitandum esset de Nuenburgo, Ciza, Misna et Erfurto, quibus locis vita coenobialis tunc temporis jam florebat. Sed adhuc nullae eorum picturae, quae cum nostris ejusdem aetatis essent, in notitiam venerunt.

Recentiores vitri picturae, aetatem transitus a ratione artium romanica ad gothicam significantes, in choro occidentali ecclesiae cathedralis Nuenburgensis reperiuntur, tamen non propior cum nostris intercedit necessitudo.

10) *De artifice.*

Etiam de artifice nihil certi dici potest. Utique intra muros monasterii alicujus quaerendus est. Nam illo tempore ars pingendi non nisi a monachis colebatur. Exercitium artium monachis ordinis S. Benedicti adeo praescriptum erat, ut regula S. Benedicti docet, in qua haec verba sunt:

Cap. 48 Otiositas inimica est animae, et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manum, certis iterum horis in lectione divina.

Cap. 57. Artifices si sunt in monasterio cum omni humilitate faciant ipsas artes, si permiserit Abbas.

Nostrum artificem peritissimum et eruditissimum fuisse, ex indole operis apparet.

11) *Quomodo ambae nostrae picturae vitri ab aliis germanicis coaevis differant.*

Antiquissimae notae vitri picturae*) in choro ecclesiae cathedralis Augustanae, nonnullae reliquiae in ecclesiis Guestphalicis (Susati, Legden), et quinque fenestrae in ecclesia S. Kuniberti Coloniensi numerantur.

Picturas Augustanas, quas nuper vidi, nostrae majore colorum ardore superant, etiam

---

*) Conf. Kugler, *allgemeine Kunstgeschichte*, *3te Aufl.* Tom. II, pag. 289; et: Kugler, *Gesch. der Malerei*, *2te Aufl.*, Tom. I, pag. 175; et: Wackernagel, *die deutsche Glasmalerei*, I, p. 31

delineatio corporis in nostris rectius tractata est, ita ut mollius jucundiusque in oculos cadant. Augustanae peculiariter praestant eo, quod, si illa tempora spectas, magnarum proportionum sunt.

Quae autem in ecclesia S. Kuniberti Coloniae*) exstant, jam evidenter transitum ad epocham artium gothicam praeparant, praesertim in liberioribus motibus figurarum et in vestimentis molliter defluentibus. Varii colores foliorum in summis palmitibus decorativis, species fasciarum litteris inscriptarum nostrae in Tab. I quodammodo similes sunt; in faciebus autem symmetrica ratio delineationis jam omissa est. In fenestra apud Boisserée depicta, in qua item stemma Isai repraesentatur, arboris caulis non per medios campos imaginum ascendit, sed orbes *(Medaillons)* imaginum amplectitur.

Haud dubie jam medio saeculo XIII adscribendae picturae vitreae in templi S. Kuniberti multo recentiores sunt quam nostrae in templo S. Viti.

Memorabilis in coloribus consensio cum nostra effigie Christi (Tab. I) picturae vitri Anglicae intercedit, quae in *Quaterly papers*

---

*) Conf. *Boisserée*, *Denkmale der Baukunst am Niederrhein.* Tab. 72.

*on architecture**) Vol. II. depicta est. Et hic Christus pallium croceum rubicundum gerit et longam tunicam albam, sedens in fundo coeruleo, sed in throno. Hoc opinionem nostram magis confirmat, in eligendis coloribus argumenta ex dictis biblicis petita esse. Ceterum delineatio picturae Anglicae durior et rudior est.

In Thuringia etiam sunt monumenta ampliora sed recentiora epochae vetustissimae artis in vitro pingendi adscribenda. Fenestrae sunt chori occidentalis ecclesiae cathedralis Nuenburgensis, ad aetatem transitoriam saeculi XIII serioris pertinentes, quae adhuc non satis aestimata sunt. Sed mox certiora de his me communicare posse spero. —

Ita utramque picturam vitream in templo S. Viti in vico Veitsberg vetustissimis germanicis adnumerandam esse confido, et ob penuriam reliquiarum ejusmodi et ob praestantiam, quae nostris tam antiquis picturis vitreis propria est, publicationem earum non injucundam fore spero.

---

*) *Quaterly papers on architecture*, *Vol. II*, *London* 1844. — Vid. *East window of Tower Temple church*, *London.*

Corrigenda.

Pag. 28 lin. 18 lege *consensio* pro *consentio.*
